

1622.

1. Cranius, Henricus Andreas: Praecipuae controversiae et antiquariae, ex lib. 30, 31, 32 de legatis et fidei commissis, desumptae
2. Cranius, Henricus Andreas: De locazione conductione et emphyteusi
3. Struclius, Johannes: De legibus, earumque constitutione, obligatione et deinde interpretatione
4. Wiselcius, Johannes: De emptione venditione

1625.

1. Clarius, Joannes Thomas: De genere judicii, ac quibusdam personis, actore et reo, hisque subordinatis personis, advocatis, procuratoribus.
2. Schmorcken, Henricus: De contractibus in genere.
3. Schmorcken, Henricus: De restitutionibus in integrum

1623.

4. Schwarzkuff, Joannes: De testamentis ordinandis

5. Struckius, Joannes: De adquirendo rerum dominio

6. Struckius, Joannes: De vera et genuina jurisdictione
in specie sic dictae, sine mixti Imperii acceptione,
deq. natura ejusdem, ut et notione, cognitione, meriti
Imperii etc.

7. Struckius, Joannes: De defensione necessaria, sive
modoramine inculpatae tutelae

1624.

Schmercken, Hieronimus: De cessione actionum

1625.

Lotichius, Christophorus: De testamentis ordinandis

1630.

Claudius, Johannes Thomas: De foro competenti

et praecipue de competentia fori ex loco domicilii

fundata

1631.

Schmerhern, Henricus: De obligationibus carumque

causis in genere.

1635

1426 Conringius, Hermannus: De subjectione et imperio

2 Buechl. 1635: 1680.

2. Conringius, Hermannus: De mutationibus rerum publicarum

3. Weccius, Trachimus: De differentiis juris civilis et canonici. Cura Henrici Stapfii Jen. ed. 1665

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



17971.
N^o 54
DISPUTATIO IURIDICA

1625 13

De
**TESTAMENTIS
ORDINANDIS,**

Quam

DEO AUXILIANTE

Autoritate & permisso Amplissimi ICto-
rum ordinis

In Inchyta Academia IVLIA

PRAESIDE

CHRISTOPHORO LOTICHIO,

Ventilandam proponit

THEODORUS Panzerbieter Hildesienſis.

ad diem XIX. Martij.



HELMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI,

Anno cl^o l^o cXXV.



VIRIS

*Magnificis, amplissimis, prudentissimis ma-
gnarumq; rerum usu atq; experientia
praeantissimis,*

- Dn. NICOLAO Brandes } *Inclita Reip. Hil-
desheim. Consuli-*
- Dn. IOHANNI Sorrier } *bo vigilatissimis,*
- Dn. CHRISTIANO Kägel I. V. D.
eiusdem Reipub. Syndico meritissimo,
- Dn. CVNRADO Diverzagt } *Equitū Magi-
stris spectatis-*
- Dn. VALENTINO Evers } *simis*

Et toti Senatorum ordini gravif-
simo, patribus patriae lau-
datissimis.

*Dnn. Patronis atq; fautoribus suis
maximis in debita observantia si-
gnum hoc Iuris Exercitium*

offert

THEODORUS Panzerbieter
Aut. & Resp.



ly
ebat
L
f
n.





DISPUTATIO
De
TESTAMENTIS ORDINANDIS.

THESIS I.

P Rincipem facilè ex modis acquirendi dominium per universitatem obtinet locum hereditatis acquisitio: Cuius materiae planè incomparabilem utilitatem non immeritò prædicat *Iohannes Dauth in princ. tractat. sui de testamentis.*

II. Est autem hereditas nihil aliud quam successio in universū jus, quod defunctus habuit *l. 24. de V.S. l. 62. de R.I.*

III. Quæ, cum ad heredem deveniat vel mediatè per testatoris voluntatem, vel immediatè per solam legis provisionem *§. ult. Instit. per quas pers. cuiq; acquir. l. 1. 3. de heredit. petit. l. 70. pr. de acquir. hered. l. 9. 22. §. 1. C. de Iur. delib. inde est vel Testamentaria, vel legitima l. 3. §. 2. pro soc. v. 6. §. 2. quæ in fraud. credit.*

IV. Nobis posteriori hac missâ de hereditate testamentaria, tanquam potiori *l. 39. d. 1. de acquir. hered. ubi Gotofr. per plur. Iur. Coras. in l. 3. §. 1. C. de impub. & al. substiz. ubi assignat rationem*, Impræsentiarum nonnihil proponere placuit. Quia in re post testamenti originem, ceu partem cuiusq; rei potissimam *l. 1. de orig. Iur.* ab eiusdem Etymologia exordium facere non inconueniens videtur *arg. l. 1. de Iust. & Iur. l. 1. de reb. credit.*

V. Et quia naturalis ratio inter omnes homines constituit

stituit, ut non solum nobis, sed & liberis aliisque; bene de nobis meritis prospiciamus *l. 7. §. 1. Si tab. testam. l. 7. pr. de bon. damnat.* Idque apud omnes populos peraeque custoditum fuisse exempla abunde faciunt testatum *Tholosan. lib. 7. de Repub. c. 12. VVesenb. in parat. qui testam. fac. poss. n. 8.* Inde veluti ex essentialibus juris gentium partibus *§. 1. Instit. de I. N. G. & C. l. 9. d. 1. de Iust. & Iur.* testamenti factionis absolute & simpliciter considerata origo atque forma juris gentium non immerito tribuitur.

VI. Ista vero testamenti factio, quae fuit ad Rempublicam Romanam determinata, cum talem testandi modum, qualem habuerunt, Cives Romani, omnes populi non habuerint, civium Romanorum propria facta est *arg. §. 2. Inst. de patr. potest. conf. Sigon. 1. de antiq. iur. civ. Rom. 12. in prin.*

VII. Non inconcinnam autem allusione, quod in testamentis ordinandis, mens in primis attendenda veniat *l. 2. d. 1. qui test. fac. poss.* testamentum à testatione mentis appellari esse pronunciat *Imper. Justin. pr. instit. h. t. vid. Oldend. class. 5. pr. vers. testamentum autem.*

VIII. Id quod Modestinus definit voluntatis nostrae iustam sententiam de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. *l. 1. d. 1.*

IX. Iustam sententiam pro triplici Iusti significatione alios accipere solennem, alios legitimam, alios perfectam recenset & explicat *Daurh. n. 12.* Ex quibus ille mediam facit suam, quam & nos secuti eam putamus hic accipi sententiam iustam, quae fit secundum leges, siue ex legum praescripto *l. 4. d. 1.* siue desideret solennitatem, siue non. *Vacon. à Vacun. 4. declar. 52. n. 4.* Ita fiet, ut interpretatione huiusmodi admissa praallegata Modestini definitio, non quidem ut accurata, sed veluti descriptio, omni testamentorum generi applicari possit.

10. Ad-

ly
ebat
L
f
r.

X. Additur voluntatis nostræ, non alienæ neq; coactæ, nam testamentorū jura ipsa oportet per se esse firma, non ex alieno arbitrio pendere *l. 32. de hered. instit.* neq; licet violentis persuasionebus & blanditiis dolosis aliquem ad institutionem faciendam provocare. *l. ult. C. si quis aliq. testat. prohib. ubi Gotofr. Gail. 2. obs. 117. n. 4. Coras. in l. 1. n. 8. C. de sacrosanct. Eccles.*

XI. Ultimo meminit Ictus mortis testatoris, siquidem is hunc finem sibi habet propositum, quod dispositionem suam post mortem viribus subsistere cupiat *cap. 6. X. de celebrat. missar.* alioquin hac intentione deficiente, dispositio pro ultima voluntate non habetur, sed actus inter vivos inducitur, etsi disponens in articulo mortis versaretur. *l. 42. §. ult. de donat. mort. caus.*

XII. Fuerunt autem antiquitus tria testamentorum genera; Unum Calatis Comitibus, quo in pace & otio utebantur; alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur; tertium, quod semper neque Comitibus inirentur, neq; bellū frequentaretur, per æs & libram, quod agebatur per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem quinque testibus civibus Romanis puberibus, libripende & familiæ emtore præsentibus *§. 1. instit. d. 1. Vlpian. in fragmen. t. 20. §. 1. & 8. Coras. s. Miscell. 12. Sigon. d. loc. circ. fin. Gotofr. ad l. pen. de test. mil.*

XIII. Hodie istis testamenti generibus antiquatis, quia fit fide vel publicâ vel privarâ, testamentum aliud est publicum aliud privatum.

XIV. Publicum testamentum est quod publicâ nittur fide & autoritate, fitq; modis duobus: Aut enim testari volens supremam suam voluntatem libello supplici comprehendit, eundemq; Principi offert rogans, ut istam in scrinia sua recipiat: aut apud acta iudicis palam mentis

sux postremum publicat iudicium l. 19. Cod. de testam^{en}t.

XV. Cujusmodi testamenta, quibus ita factis testator securus dicitur d. l. 19. valent sine solennitate testium, hoc est, eorum numero, rogatione & signis *Gotofr. ibid.* quod superfluum sit privatam testimonium cum publica monumenta sufficiunt l. 31. C. de donat.

XVI. Testamentum privatum est, quod quis fide privata facit coram auribus privatorum d. l. 19. Estq; aliud solenne seu paganum, aliud minus solenne seu privilegiatum. De quorum forma atq; substantialibus requisitis agere commodum videtur, si primum secuti *ICtum Gaium l. 4. qui testam. fac. poss.* viderimus de iis qui testamenti habent factionem activam.

XVII. Licet enim nihil magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. d. l. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. ne quis tamen temerè & pro suo captu sed certâ formâ certisq; adhibitis solennibus, sine quibus defuncti voluntas rata non habetur l. 55. de legat. 1. de rebus suis disponat, arbitrium illud suis est inclusum legum cancellis.

XVIII. Inde testamenti factio omnibus illis conceditur, qui specialiter prohibiti non inveniuntur *arg. l. 43 de procurat. l. 28. §. 2. ex quib. caus. maior. l. 12. de judic.*

XIX. Prohibentur verò à testamenti factione, quos impedit vel vitium animi, vel corporis, vel status seu conditio, vel poena.

XX. Vitio animi impediuntur, qui ob imperfectum iudicium voluntatis declarandæ facultatem non habent: Eiusmodi sunt (1) Impuberes l. 5. qui testam. fac. poss. l. 4. C. eodem. l. ult. C. de testam. milit. quia nullum eorum animi

judi-

ly
ebat
l.
f
r.

judicium est §. 1. *Instit. quib. non est permiss. testam. fac. Plp.*
in fragmen. 1. 20. §. 11. & quicquid ætas illa videt, ignorat l. 1.
in fin. C. de fals. monet.

XXI. Neq; ad rem pertinet, quod vel puberes facti
decesserint *d. §. 1. l. 19. d. 1. qui test. fac. poss. vel tutoris inter-*
venerit autoritas l. 1. §. 1. de tutel. & ration. distrab. cum te-
stamentum non nisi ex nostra possit pendere voluntate
supr. th. 8. & 10.

XXII. Ex eodem (2) numero sunt furiosi *d. §. 1. instit.*
§. 1. de inoffic. testam. eod. l. 16. §. 1. qui test. fac. poss. l. 9. C. eod.
Idq; in iis obtinet, qui continuâ mentis alienatione omni
carent intellectu *l. 14. de offic. presid. nullamq; habent vo-*
luntatem l. 40. de R. I. Nam si per id tempus fecerint testa-
mentum, quo furor eorum intermissus est, vel si id ante
furorem extiterit conditum, jure testati esse videntur *d.*
§. 1. Instit. quib. non est permis. l. 20. §. 4. d. 1. qui testam. fac. poss.
d. l. 9. C. eod. Cæterum furiosum neminem præsumi post *l.*
5. C. de Codicill. multis autoritatibus probat Dauth. n. 218.

XXIII. Et (3) prodigi, postquam illis bonorum suo-
rum administratio ministerio Iudicis & præconio publi-
co *l. 1. 10. 16. §. ult. de curat. furios. fac. l. 12. §. 2. de tutorib. &*
curator. Gail. 2. obs. 51. n. 2. Dauth. n. 222. interdicta est §. 2. Inst.
quib. non est permiss. test. fac. l. 18. qui testam. fac. poss. com-
parantur etenim pupillis l. 9. §. 7. sicert. petat. & furiosis
d. l. 40. de R. I. proindeq; in bonis suis furiosum faciunt
exitum d. l. 12. §. 2. d. l. 1. Quæ ita relaxat Imper. Leo. Nov. sua
30. ut prodigis de rebus suis utiliter disponentibus pote-
statem istam adimi nolit.

XXIV. Ob corporis vitium, quod actiones animi
ad condendum ultimum elogium necessarias edere ne-
queant, testamentum conficere non possunt (1) surdi,
muti §. 3. *Instit. d. 1. nisi id ex constitutione Iustiniani suâ*
manu

manu scribant l. 10. C. qui test. fac. poss. & (2) Coeci §. 4. Inst. d. 1. nisi obseruent solennitatem l. 5. C. d. r. de quâ latè Daub. n. 231. & seqq.

XXV. Ob statum & conditionem à testamenti factio-
ne arcentur, qui (1) liberi homines non sunt, veluti servi
l. 16. pr. l. 19. qui test. fac. poss. quod non habeant unde dispo-
nant arg. §. 1. Instit. de his qui sunt sui vel alien. Jur. §. 3. per
quas pers cuiq; acquir. eod. l. 10. §. 1. de A. R. D. Cum quibus
coincidunt qui de statu suo incerti sunt l. 14. & seq. d. r. qui
testam. fac. poss. nisi milites fuerint l. 11. §. 1. de test. milit.

XXVI. Item servi poenæ, qui ad ferrum, aut ad be-
stias aut in metallum damnantur, perdunt enim liberta-
tem bonaq; eorum publicantur l. 8. §. ult. d. r. qui testam. fac.
poss. l. 6. §. 6. de iniust. rupt. l. 25. §. 3. de acquir. hered. l. 29. in fin.
de pœnis. Quos nec hodiè per Auth. bona damnatorum C. de
bon. proscript. ubi sublata dicitur confiscatio, non ut damnato
permittantur bona, sed ut ab intestato legitimis subueniatur he-
redibus, testamenti factionem habere concludit Daub.
num. 209. licet contrarium de consuetudine induci posse
non diffiteatur, Conf. Lindem. in Exercit. Justin. disp. 3. tit.
12. th. ult.

XXVII. Si quis autem in capitali crimine damnatus
appellaverit, & medio tempore pendente appellatione
fecerit testamentum, & ita decesserit, valet ejus testa-
mentum l. 13. §. ult. d. r. qui testam. fac. poss. l. 6. §. 2. de iniust.
rupt. Siquidem provocationis remedio condemnationis
extinguitur pronuntiatio l. 1. §. ult. ad SCt. Turpell. Gl. in d.
l. 13. §. ult. verb. appellauerit. Gail. 1. obs. 147. n. fin. & 1. de pac.
publ. 19. n. 8. vers. tertio.

XXVIII. Similiter, quod in hostium servitutem de-
ducantur §. 17. Instit. de rer. diuis. l. 7. pr. de A. R. D. testamen-
tum condere nequeunt captiui §. ult. Instit. quib. non est
per-

ly
ebat
L
f
r.

3

4

5

permiss. fac. testam. l. 8. pr. qui testam. fac. poss. l. 6. §. 5. de iniust. rupt. l. 10. de testam. milit. qui videlicet in bello legitimo, quod cum hostibus ex justis causis geritur, capti sunt l. 24. de captiv. & postlim. l. 118. de V. S. Quod si ante captivitatem testamentum fecerint, valet id ipsum, si ab hostibus revertantur Iure postliminii: Si vero illic decedant, ex L. Cornelia d. §. ult. l. 16. 18. de captiv. & postlim. fac. l. 9. de iniust. rupt. l. 28. de Vulg. & pupill. substit.

XXIX. Captivis non absimiles sunt Obsides, qui dantur ad fidem servandam *l. 11. d. 1. qui testam. fac. poss.* quorum bona in obsidione quaesita ut captivorum ferè publicantur & in fiscum coguntur *l. 31. de jur. fisc.* nisi eis populus Romanus aut testandi facultatem fecerit *d. l. 11.* aut usum togæ permiserit *l. 32. d. 1. de Iur. fisc. Gl. in d. l. 11.* De toga & vestitu Romano *vid. Sigon. 3. de Iudic. 18. Gotofr. ad d. l. 32.*

XXX. Idem status officit, qui (2) jure & privilegio Civium Romanorum non gaudent, licet liberi sint: inde testamenti factione antiquitus destituebantur peregrini *Ulp. in fragm. 1. 20. §. 13.* quibus postea eandem, modò juri fecerint consentaneam, jure novo concessit Fridericus *Auth. omnes C. commun. de success.* Ad quam classem deportati seu quibus aqua & igni interdictum est *§. 2. Instit. de capitis deminur. l. 5. §. ult. de extraord. cognit. rectè accedunt l. 8. §. 1. 2. qui test. fac. poss. l. 6. §. 7. de iniust. rupt.*

XXXI. Ob eandem deniq; conditionem prohibentur testari, qui in patris sunt potestate *pr. Instit. quib. non est permiss. testam. fac. l. 6. §. 19.* qui testamentum facere possunt *l. 3. §. C. eod.* licet patris permissus interveniat *d. l. 6. l. penult. C. d. r.* Cum ea, quæ publici juris sunt, qualis est testamenti factio. *l. 3. d. 1. qui test. fac. poss.* non nisi illis competant, quibus lex ea defert.

XXXII. Et quia sub patrisfamilias qualitate ultima

B

clo-

elogia sunt relinquenda: Paterfamilias enim uti superfamilia pecuniarum sua legasset, ita jus esto, vid. Grotius. t. 19. sup. fragment. l. 12. tabb., filiusfamilias ne quidem de iis bonis, quæ pleno jure ejus sunt, seu in quibus habet & usumfructum & proprietatem l. 8. pr. vers. sive e contrario C. de bon. qua liber. testamenti condendi habet facultatem l. pen. C. qui testam. fac. poss. VVesenb. ad d. princ. Inst. quib. non est perm. n. 3. Vult. n. 11, Heig. n. 9. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 2. l. c. XXXIII.

Quam patrisfamilias qualitatē cum habet competentem in pecuniis castrensibus & quasi l. 2. ad SCt. Macedon. recte de illis cum in ultima voluntate disponere posse placitum est, d. pr. in fin. Instit. quib. non est perm. test. fac. l. 6. C. de bon. qua liber. l. ult. C. qui test. fac. poss. l. ult. C. de inoffic. testam. l. 7. §. fin. de donation. Harmenop. lib. 5. t. 2.

XXXIV. Ratione poenæ intestabiles sunt, qui inveniuntur damnati ob crimen famosum l. 18. §. 1. qui testam. fac. poss. l. 21. de testib. l. 5. §. 9. de iniur. qui incestas & adulterinas nuptias contraxerunt l. 6. cum Auth. incestas C. de incest. & inutilib. nupt. qui adulterii damnati sunt l. 14. d. 1. de testib. qui commiserunt crimen lætæ maiestatis arg. l. ult. C. ad L. Jul. maiest. qui sanctum baptisma iterantur l. ult. C. ne sacr. baptis. iter. Hæretici & hæreticis credentes l. 4. cum Auth. credentes C. de hæret. & Manich. c. 19. de hæret. in 6. Gail. 1. de P. P. 19. n. 17. Cæterum quinam sint & dicantur hæretici vide latè apud Daubnum. 243. & seqq.

XXXV. Hucusq; de personis, quæ testari prohibentur. Quibus ita expeditis, nunc iuxta th. 16. de natura & requisitis testamenti tam solennis quàm minus solennis videndum est.

XXXVI. Solenne testamentum dicitur, in quo omnes juris civilis sunt observatæ solennitates: Estq; aliud Scriptum seu mysticum, aliud nuncupativum.

XXXVII. Testamentum scriptum fit, quando testator

lib
ebat
f
r.

4
m
For ultimam voluntatis suæ dispositionem à se vel ab alio
in scripturam redactam obfert septem testibus corrobo-
randam *l. 21. C. de testam.*

XXXIIX. Nuncupativum testamentum perficitur, quan-
do testator sine scriptis coram septē testib⁹ vivâ voce vo-
luntatem suam ultimam exprimit atq; declarat *§. ult. Inst.*
h. t. d. l. 21. §. 2. l. 29. C. de testam.

XXXIX. Prius autem quam uniuscuiusq; testamen-
ti ponamus propria & peculiaria solennia, ea, quæ utriq;
sunt communia, præmittere operæ pretium videtur.

XL. Consistunt autem ista vel in ipso testandi actu,
vel in legitimâ testium adhibitione.

XLI. Actus testandi debet esse continuus, ita ut uno
contextu testamentum conficiatur. Est autem uno con-
textu facere nullum alienum actum testamento intermi-
scere *l. 21. §. ult. qui testam. fac. poss. l. 21. §. 2. C. de testam. §. 3.*
Instit. hic. Cum enim testamentum sit voluntatis nostræ
sententia, & iusta quidem atq; extrema, testatorem uni
illi rei, quam agit, intentum esse decet: pluribus enim
intentus minor est ad singula sensus.

XLII. Hinc contractum in testamento fieri non pos-
se apparet *l. 20. de V. S.* nisi quoquo modo ad testamen-
tum pertineat, vel de ultima voluntate aliquid partici-
pet, vel citò expediri possit: de posteriori exemplum pro-
ducit *Gl. in d. l. 21. §. ult. in verb. alienum, quam allegat Porc.*
Sup. Instit. rit. qui & ex quib. caus. manum. n. 3. quo ad priora
est rextus in *d. l. 21. §. ult. in fin. fac. l. 26. de pignorat. act. l. 7. de af-*
signat. liber. Dauth ad d. l. 21. §. fin. n. 37.

XLIII. Quod si ex causa necessitatis in persona testa-
toris vel testium contingens id, quod geri oporteat, pau-
lulum interrumpatur, ex eo testamentum non subverti-
tur *l. 28. pr. vers. si quid autem C. de testam.* Sicuti nec inde,
B 2 quod

quod superabundans cautela adhibeatur *l. 17. eod. Gloss.
d. loc.*

XLIV. Legitima testium adhibitio requirit singu-
lorum testium idoneam conditionem, modū & numerū.

XLV. Idoneitas est penes omnes, quibus testimonii
dicendi potestas nominatim interdicta non est *l. 1. §. 1. de
testib.*

XLVI. Interdicitur autem testimonium quibusdam
naturā, quibusdam lege. Naturā testes esse nequeunt alii
ob ætatem, alii ob animi, alii ob morbum corporis.

XLVII. Ob ætatis imbecillitatem, quod actum rei
non intelligant *l. 5. de R. I. l. 9. de acquir. hered.* prohibentur
impuberes *§. 6. Instit. hic l. 20. pr. qui test. fac. poss.*

XLVIII. Ob morbum animi, quod vel omni destitu-
antur intellectu, *vid. th. 22. ut furiosi d. §. 6. l. 20. §. 4. d. t.*
vel rem non debito modo intelligant, *Conf. th. 23. ut pro-
digi d. §. 6. l. 18. pr. d. r.*

XLIX. Ob corporis vitium à testimonio removetur
(1) surdus *d. §. 6.* quod non exaudiat, de quo testimonium
perhibere debeat, (2) mutus *d. §. 6.* qui id quod quidem
audivit, postmodum ubi opus est, eloqui vel significare
non potest, & (3) Cæcus, qui ut testatorem non valet
videre, ita nec subscribere, nec signare, multo minus si-
gillum recognoscere potest, quod tamen in primis neces-
sarium *vid. infr. th. 73. fac. c. 15. 3. q. 9. VVesenb. ad d. §. n. s. 6. &
7. Mynsing. num. 11.*

L. Lege testes esse prohibentur, quos lex iustis ex
causis vel in nullo omninò solenni testamento ad testi-
monii fidem admittit, vel pro personarum qualitate in
certis duntaxat testamentis non vult adhibendos.

LI. Qui prorsus ab omni repelluntur testamento, iis
impedimento est, vel status, vel sexus, vel delictum & inde
secuta damnatio.

52. Sta-

ly
ebat
L
f
22

4
LII. Status obest illis qui cives Romani non sunt *d.l. 21, pr. C. de testam.*, veluti servis *d. §. 6. & d.l. 20. §. 7.* nisi tempore testamenti facti cōmuniter pro liberis habiti sint, eo enim casu ob publicam testandi utilitatem ejusmodi testamentum ex Augusta Impp. liberalitate subsistit *§. 7. Instit. d. 1. l. 1. C. de testam. Conf. 1b. 60.*

LIII. Ob sexum, quod eam juris civilis solennitatibus cum viris interesse indecorum ac inconueniens habitum fuerit, à testimonio dicendo in testamento arcetur mulier *d. §. 6. d.l. 20. §. 6. Vulz. ad d. §. 6. n. 19. VVesenb. ibid. n. 2. & alij quos refert & sequitur Haenon. 11. quest. illustr. 21.*

LIV. Ob delictum & inde secutam damnationem ad testamentum non poterunt adhiberi testes, qui ob crimen facti sunt intestabiles, de quibus *supr. 1b. 34.* & qui lege Repetundarum damnati sunt *d.l. 20. §. 5. l. 15. pr. de testib.*

LV. Qui in universum testes esse non prohibentur, sed in certis testamentis admittuntur, illi removentur, vel ob potestatem quæ est inter testatorem & testem, vel ob negotium quod inter testatorem ac testem principaliter geritur.

LVI. Ratione potestatis, cujus intuitu una eademq; persona censentur *l. ult. C. de impub. & al. substit. §. 4. Instit. de inutil. stipul.* qui sunt in potestate testatoris, vel eū habent in potestate, ne sibi ipsi quis testimonium perhibeat *contr. l. 9. & 10. de testib.* in testibus esse non possunt, reprobatum enim est in ea re domesticum testimonium *§. 9. Instit. hic.*

LVII. Domesticum autem testimonium æstimatur hic non ex cognatione seu eadem gente, sed ex eodem potestatis vinculo, *post Theophil. Heig. ad d. §. 9. num. 4.* Filius proinde emancipatus, maritus, uxor inter personas prohibitas non numerantur *Angel. ad d. §. 9. num. 5. VVesenb. ibid. num. 4.*

LIIIX. Ob negotium ipsius testis neq; heres neque is qui in potestate ejus est, neq; pater eius, qui eum habet in potestate, neq; fratres qui in ejusdē patris potestate sunt, testes adhiberi possunt §. 10. *Instit. hic l. 20. pr. qui test. fac. poss.* Vna namq; videtur quodammodo esse persona heredis & ejus qui in eum transmittit hereditatem *N. 48. pr.* proindeq; iis in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt *l. 10. C. de testib.*

LIX. Quæ ratio quia deficit in legatariis & fideicommissariis singularibus, qui non in universum ius defuncti, sed certa tantum corpora succedunt, illis iure singulari, quod consistit non in sola testatoris approbatione sed in legis dispositione, testimonium non denegatur §. 11. *Instit. hic l. 22. C. de testam. l. 20. pr. qui testam. fac. poss. l. 14. de reb. dub.* multa enim permittuntur in consequentiam, quæ principaliter non conceduntur *l. 1. de autor. tutor. Conf. Bronch. 2. assert. 97. Gorosfr. ad d. l. 22.* Idq; propter rationis identitatem obtinere in testamento tam nuncupativo quam scripto post *Iohan. Fabr. ad d. §. 11. n. 2. & alios quos allegat, concludit Rober. disp. 11. rh. &*

LX. Et tantum de ipsorum testium qualitate, quam sufficit eos habuisse tempore conditi testamenti, licet ex post facto intestabiles fortè efficiantur: conditionem enim testium tunc inspicere debemus cum signarent, non mortis tempore *l. 22. §. 1. d. r. qui testam. fac. poss.*

LXI. In modo testium adhibendorum requiritur, ut competenter & secundum iuris normam interueniant, quod fit si specialitèr fuerint rogati & convocati ut præsto essent tanquam testes ad actum testandi *l. 21. §. 2. d. r. l. 21. pr. l. ult. C. de testam. Auth. rogati C. de testib.* Alterius enim rei causa rogatos ad testandum non esse idoneos *Vlp. in d. l. 21. §. 2.* placuit, quod sic ibidem vult accipiendum, ut li.

ly
ebat
l.
f
2.

ut licet ad aliam rem sint rogati vel collecti, si tamen ante testimonium certiores ad testamentum se adhibitos, posse eos testimonium suum rectè perhibere.

LXII. Qua in re testamenti factio à cæteris negotiis recedit, quæ ad fidem rei gestæ faciendam regulariter etiam non rogatum testem admittunt *l. 11. de testib. Vid. Gotofr. in Nov 90. c. 2.* ubi certos casus adducit, in quibus simplex testium interventus non sufficit.

LXIII. Deinde necessarium est, ut testes inviti non detineantur *l. 20. §. ult. d. 1. qui test. fac. poss.* Item ut in conspectu testatoris testimoniorum officio fungantur *l. 9. 12. pr. C. de testam.* Inde *Gotofr. in d. l. 9.* quorundam Dd. sententiam esse notat, testes aliàs oculatos, si interposito velo aut interiectâ cortinâ testatorem loquentem quidem audierint, non tamen viderint, quod vocem alienam periti imitari possint, nullam testimonii fidem facere.

LXIV. In utroq; deniq; testamento tam nuncupativo quam scripto septem debent intervenire testes *l. 21. pr. & §. 2. C. de testam. §. 2. & 3. Instit. h. l. 23 qui testam. fac. poss.* propter testamentorum sinceritatem & communem utilitatem, ut per tot homines veritas magis reveletur, & ut fraudibus in re maximi momenti obvietur *arg. §. 4. Instit. h. l. ult. C. de fideicom. Dauth. n. 420.*

LXV. Septenarium vero istum numerum in testamento tempore pestis factio, cum propter pestilitatem homines ut plurimum solent vel aufugere ex loco infecto, vel aliàs conspectum & conversationem ægrotantis evitare, remitti posse, non solum Camera Imperiali observatur *Gail. 1. obs. 118. n. 19. Bocer. tract. de iur. bell. & duell. lib. 1. c. 28. n. 14.* sed & ex ipsa *l. 8. C. de testam.,* quam refragari nonnulli putant, illud probat *Bachov. d. loc. 1. h. 6. lit. 1.*

LXVI. Testamentorum communia isto modo relata sunt: Quibus in antecessum missis de iis, quæ cuiusq; testamenti solennitates sunt peculiare & propriæ videre est proximum.

LXVII. Testamentum itaq; scriptum primùm desiderat scripturam. *d. l. 21. pr. C. de testam.* eamq; non notis sed literis extensam *Auth. quod sine eod. arg. l. 2. §. 22. C. de V. l. E. l. 40. pr. de testam. milit. ubi Gotofr.* Utrum autem manu ipsius testatoris vel alterius cuiusdam conscribatur nihil interest *d. l. 21. pr.* dummodo casu posteriori testator, si vires ad scribendum habeat, nomen heredis vel heredum in sua subscriptione vel in quacunq; parte testamenti ponat: vel si forsitan ex morbi acerbitate vel literarum imperitia hoc facere minimè potuerit, voce coram testibus, ut omninò sciant, qui sint scripti heredes, nomen heredis vel heredum nuncupet *l. 29. C. eod. §. 4. Inst. h. N. 66. c. 1. §. 4. Harmenop. lib. 5. r. 1.*

LXVIII. Verùm quæ jura, cum ex eiusmodi subtilitate plurima testamenta destruantur, *per N. 119. c. 9. & inde desumptam Auth. & non observato C. d. 1.* sunt abrogata, ubi testamentum pronunciatum firmum sive testator per se sive per alterius quam testatoris aut testium personam nomen heredis inscribat.

LXIX. Huiusmodi scripturam excipiant (2) literæ testium *l. 28. §. fin. C. d. 1. §. 3. Instit. hic,* si quis enim illorum nomen suum non adscribat, nihil omninò valet testamenti scriptura *l. 22. §. 4. qui testam. fac. poss.* dummodo testator, testibus præsentibus suum esse testamentum prius dixerit quod offertur, eiq; ipse coram testibus suâ manu in reliqua parte testamenti subscripserit: nisi literas ignoret vel subscribere nequeat, eo namq; casu octavus subscriptor pro eo adhibendus est *d. l. 21. pr. & 28. §. ult.*

70. Quæ

ly
ebat
L
f
2.

4
LXX. Quæ testatoris subscriptio itidem non exigitur, si ipse testamentum suum manu propriâ conscripserit *d. l. 28. §. ult.*, quod exinde holographum dici notat *Grosfr. ibid.*

LXXI. Cumq; conveniat, ut singuli testes qui in testamento adhibentur proprio chirographo annotent *l. 30. d. 1. qui testam. fac. poss.* alius testis pro alio subscribere non potest.

LXXII. Cæterum in testamento scripta testibus manifestari necesse non est: quod si enim testator nullum scire velit ea, quæ in testamento scripta sunt, potest consignatam vel ligatam vel tantum clausam involutamque scripturam offerre testibus, etiam ignorantibus quid in ea comprehendatur, & petere ut eam subscribant & consignent *d. l. 21. pr.* Inde apparet utilius quem testari in scriptis quam per nuncupationem, licet hoc illo fiat facilius.

LXXIII. Subscriptionem sequatur (3) obsignatio *d. l. 21. pr. §. 3. Instir. b.* ut testamentum semel signatum resignari & aperiri nequeat, antequam testes conveniant sigillaque sua inspiciant & recognoscant *l. 4. 6. 7. test. quemadm. aper.* Ista autem consignatio nisi concurrat Scriptura nullius momenti est: Si quis enim ex testib. nomen suum non adscripserit, veruntamen signaverit, pro eo est ac si adhibitus non esset: & si adscripserit se, non tamen signaverit, idem dicendum est *d. l. 22. §. 4.*

LXXIV. Possunt autem omnes testes & uno annulo, eoque vel suo, vel alieno, etiam ipsius testatoris testamentum signare *§. 5. Instir. b. d. l. 22. §. 2. l. 12. C. de testam.* Testamentariis namq; signis plena fides non habetur, sed solum apponuntur ad fidem, ut testes ipsa recognoscant, & ipsis cognitis attestentur: secus est in aliis actibus in
C qui-

bus sigillo fides habetur tanquam authentico *Daub ad l. 22. §. 2. n. 9.*

LXXV. Cum verò variè homines signarent, varietatem autē in certitudo, quam omnem à testamentis procul abesse convenit, sequeretur: hinc factum, ut inter reliqua testamentorum solennia hoc quoque ob majorem certitudinem constitutum sit; ut nullâ aliâ re, quam anulo habente *χαρμηνησ*, id est, signatorio, testamenta signarentur *d. l. 22. §. 5.* cujus character eo notior omnibus esse potuit; quod semper in digito gestaretur, *ut post Duaren. ostendit Daub ad d. l. §. 5. num. 12. Heig. ad §. 3. Instit. h. num. 29. & 30. Conf. Gotofr. ad l. 74. de V. S.*

LXXVI. Atque eo modo testamentum fit in scriptis: Si quis sine scriptis vult ordinare testamentum, is præter generalia præsupposita palàm voluntatem suam ultimam exprimere necesse habet, ita ut testes simul & eodem tempore audiant ipsum testatorem articulatâ voce & intelligibilitèr loqui ac disponere *d. l. 21. §. 2. C. de testam. l. 21. pr. qui testam. fac. poss. l. 209. de V. S.*

LXXVII. Et licet ejusmodi testamentum per tabellionem in scripturam redigatur, ob id tamen naturam suam illud non alterat, neq; scriptum efficitur, sed nuncupativum manet, cum scripturæ non desiderentur tanquam essentielle, sed ut, quod actum est, per eas facilius probari posset *l. 4. de pignor. l. 4. de fid. Instrum.*

LXXVIII. Hactenus de testamento solenni tam scripto quam nuncupativo, quod excipit testamentum minus solenne, in quo prædictæ diligentes observationes vel omnes, vel ut plurimum remissæ sunt: Cujusmodi sunt testamentum militare, testamentum inter liberos & testamentum Rusticorum.

LXXIX. Testamentum militare est, quod à milite in
expe-

ly
ebat
L
f
r.



7
m
expeditione occupato ex specialibus privilegiis confici-
tur, quomodocunq; velit aut possit, ita ut nuda eius dun-
taxat voluntas attendatur *l. 15. §. 1. l. 35. 40. & t. t. Instit. ff.*
& C. de testam. milit.

LXXX. Cum enim milites ob instans mortis peri-
culum *l. unic. pr. de bonor. possess. ex testam. milit.* peritiores
consulendi non habeant facultatem, eosque arma potius
quam jura scire sacratissimus Legislatores existimet *l. ult.*
pr. C. de iur. deliber. l. 9. §. 1. de iur. & fact. ignor. l. 1. C. cod.
præmii loco iis indultum est, ut in ultimis voluntatibus
legum solennibus non alligarentur *l. 26. §. 1. de testam. mi-*
lit. pr. Instit. cod.

LXXXI. Idque principalibus constitutionibus con-
cessum est non quibusvis militibus, sed illis duntaxat, qui
in expeditione occupati ac periculum sustinent pro patria
l. 15. pr. l. 17. C. de testam. milit. §. 3. Instit. cod. Post missio-
nem enim vel honestam, quæ tempore militiæ adimple-
to datur, vel causariam, cum quis vitio vel animi vel cor-
poris minus idoneus militiæ renuntiatur *l. 13. §. 3. de remi-*
lit. l. 2. §. 2. de his qui notant. infam. communi omnium ci-
vium Romanorum jure testamentum facere debent *d. §.*
3. l. 26. cod. Si autem in castris ante missionem aliquod fece-
rint, id intra annum tantum valebit etiam jure militari
d. §. 2. l. 21. 26. 38. pr. d. 1.

LXXXII. Eadem quoque immunitate, cum non
minus ac veteres sub armata militia stipendia mereant, ad
signa jurent, in eademq; sint expeditionis necessitate &
discrimine belli, & nostri moderni gaudent milites, præ-
sertim cum nulla contraria constitutione illa inveniatur
iis adempta *arg. l. 27. C. de testam.* permissa namq; intelli-
guntur quæ permissa durant *l. 6. §. 2. quod cuiusq; univers.*
Gail. 2. obs. 118. num. 2. Bocer. d. loc. n. 8.

LXXXII. A quo privilegio citra distinctionem non videntur removendi milites limitanei, qui in finitimis hostium locis ad repentinas incursiones intenti sunt *l. 2. §. 8. C. de offic. pref. prator. Afric. & Stationarii*, qui ad provinciae quietem aluntur *l. 1. §. 12. de offic. pref. urb.* Cum quandoque ipsos, potissimum quando verisimiliter metus aliquis sit de irruptione & impetu hostis, jugiter armis suis inherere oporteat, ubi propter armorum occupationem & vitae periculum, quid leges praecipiant, non est otium ipsis vel cognoscere, vel si cognoverint, accurate observare *Bocer. d. loc. num. 9. & seqq.*

LXXXIV. Togatis vero militibus, puta Doctoribus, causarum patronis, aliisque sine armis reipublicae operam impendentibus, quia armorum occupatione non detinentur, neque quicquam eorum, quae ad praefatum jus pertinent, ignorare debent *§. ult. Instit. de milit. testam. l. 2. §. 44. de orig. Iur.* huiusmodi privilegio non succurritur *d. §. ult. VVesenb. ibid. ad pr. tit. n. 6.*

LXXXV. Caeterum hoc testamentum militare si scriptum fuerit, nuda testatoris voluntate perficitur: si quid enim milites in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo ipso tempore, quo in praelio vitae sortem derelinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet *l. 15. C. de testam. milit.*

LXXXVI. Si vero nuncupando testari velint, convocare debent duos ad minimum *arg. l. 12. de testib. fide dignos homines §. 1. Instit. d. 1. l. 24. eod.* coram quibus voluntatem suam non ad solennitatem, sed ad probationem tantum declarare debent *arg. l. 1. in fin. pr. l. 15. §. 1. pr. l. 35. pr. eod. d. §. 1. pr. Inst.*

LXXXVII. Testamentum inter liberos conditum, quod

ly
ebat
L
f
r.



quod in eo desit fraus, cui solennitatibus obviatur *l. ult. vers. cum enim C. de fideicom.* quodq; parentum hereditas liberis jure naturali debeatur *per text. in th. s. allegatos, add. Gail. 2. obs. 112. num. 2. & 3.* subsistit etiam si solennitate legum destituatur. *l. ult. C. famil. ercisc.*

LXXXIX. Quod testamentum *in l. 21. §. 1. C. de testam.* appellatur imperfectum ratione solennitatum adhibendarum, non verò voluntatis respectu *Dauth ibid. num. 18.* Si enim pater morte præventus voluntatem suam inter liberos non complevisset, aut testamentum suum pro perfecto & absoluto non habuisset, nihil ex eo testamento debetur *Gail. d. obs. num. 14. arg. l. 25. qui testam. fac. poss.*

LXXXIX. Liberorum nomine hic veniunt non illi tantum qui ex justis nuptiis procreati sunt, sed & illi qui legitimati sunt vel per principis rescriptum, qui à legitimis nihil differunt *Nov. 89. cap. 9. §. 1. vel per subsequens matrimonium, quod omnem præcedentem maculam abstergit c. 6. X. qui fil. sunt legit. sive fuerint primi sive ulterioris gradus d. l. 21. §. 1. iunct. l. 220. de V. S. sive sui sive emancipati d. l. ult. C. famil. ercisc.* id quod de liberis naturalibus quo ad patrem non procedit *Gail. d. loc. n. 18. & seq.*

XC. Et hoc testamentum quia inter solos liberos obtinet, si in hujusmodi defuncti voluntate alia sit mixta persona, certum est, eam quantum ad illam duntaxat personam pro nulla haberi *d. l. ult. in fin. d. l. 21. §. 1.* Idq; verum est quo ad institutionem, nam legata & fideicommissa extraneis relinquere possunt. *Nov. 107. c. 1. vers. si tamen, Auth. quod sine C. de testam. ubi & alia requisita, quae fuse d. loc. explicat Dauth, videri possunt.*

XCI. Ultimum locum privilegiatorum testamentorum occupat testamentum Rusticorum: quomodo enim
C 3, hi pos-

hi possunt tantam legum subtilitatem custodire in ultimis suis voluntatibus *l. ult. C. de testam.* cum raro in pagis inveniuntur homines literati *ibid. vers. in illis verò locis.*

XCII. Est autem ejusmodi privilegium, quod in testamento tam scripto quam nuncupativo quinque testes sufficiant, si plures haberi nequeant: & si in scriptis testamentum fiat unis testis literarum peritus pro aliis subscribat. *d. l. ult.*

XCIII. Cum verò rustica simplicitas cum inopia testium ruri ut plurimum concurrens fuerit hujus privilegii causa, ideoque id competere non potest, nisi testator sit rusticus, & ruri testetur, atque sufficiens testium numerus haberi non possit. Inde *d. l. ult.* neque ad civem ruri, neque ad rusticum in civitate testantem pertinere post Dd. concludit *Daub. ibid. num. 2.* Sed quæ satis sit de testamentis ordinandis pro instituti nostri ratione proposuisse.



Corollaria,

I.

Fus accrescendi ad individuum testatoris voluntatem conservandam in omnibus coniunctis locum habet.

II.

Eratrum sororumvè liberi soli in capita succedunt.

2. Ex-

ly
ebat
L
f
2.

III.

Exceptionem non numerata pecunia, onere
probandi in debitorem translato, post biennium
opponi posse aequum videtur.

IV.

Raptor mitius quam fur non punitur.

V.

Qui verum alicui crimen obiicit citra con-
vitiandi libidinem idq; Reipublica manifestari
interest, is iniuriarum actione non tenetur.

VI.

Legitimati per subsequens matrimonium à
successione feudali non remo-
ventur.





Ad Præstantissimum & Doctissimum
Dn. RESPONDENTEM.

Seriùs ac vellem rumor cum tangeret aures,
Quod THEODORE choro iam prælia amœna
parares
Iuridico, valdè lætatus pectore, dixi;
Felix, qui dociles Musis ita destinat annos,
Ut genus humanum inde suos quoq; sentiat usus!
Tu sanè dignus cui demus munera laudum,
Quòd tanto studio tractasti Iuris & æqui
Artes, Gens sine queis, sine remige na vis in undâ est.
Sic THEODORE tuum studiorum confice cursum
Eunomiæ sedes affectans ordine iusto,
Et spes explebis summâ cum laude parentum
quas de te tacito ceperunt pectore; tandem
Nec deerunt tanti tibi præmia digna laboris,
Quem te ferre decet, si vis contingere metam.


CONRADUS Barthels Halberst.


F I N I S.



ly
eb
L
f
r.

Faint, illegible handwriting in blue ink, possibly a title or reference number.





Helmstedt, Diss; 1622-36




f

sb.

VDA7







154
UTATIO IURIDICA 1625 13

De
TAMENTIS
DINANDIS,

Quam
O AUXILIANTE
c permissu Amplissimi ICto-
rum ordinis

byta Academia IVLIA
PRAESIDE
PHORO LOTICHIO,

entilandam proponit
US Panzerbieter Hildesienfis.
diem XIX. Martij.



ELMAESTADI,
dum IACOBI LVCI,
no clj l3 cXXV.